

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XIII.

Non ipse contentus in amicitiam tuam penetrasse, Reverende & Clarissime D. D. Præceptor colende, aliis ecce & fores aperire conor: abit enim ad vos M. David Wafius, cui cum ob virtutem id optem, quo vel unico vestra me affectit Argentina, cum tibi, O scholæ vestræ lumen, commendo, & sic, tui ut habeat notitiam, notitiam quæ in adfatu & mediocri tecum conversatione ponatur. Dico satis, sat enim gloriæ, te virum in celebri loco celebrem vidisse, & convenisse: Juvenis est, & τῶν πολλῶν; Verè tibi hoc confirmo, audire Oratorem, Poetam, Philosophum insignem, Musicum, Theologiæ studiosum exercitatissimum, plura de eo non ipse loquetur; modò eum vel meâ causâ benigniore vultu excipe. Me quod atinet, usque nunc à vocatione & laboribus publicis ministerii vaco: Heu metuenda dies, per hunc tristem meum casum mihi volui, cur non cessas? crede mihi, pauca non sunt, per quæ durum mihi sic pati: Unum excedit omnia, quo ferè dejicior: otia mea. *χρῆν· χρῆν· χρῆν· πολυτελέστατον ἀνάλαμνα*: scilicet, ut in flumine aqua aquam trudit, nec elapsam revoco, sic dies diem, in hoc otioso meo tempore, nec amissam reparo; Sed vadat ut vadit, videat modo DEUS & vos. O pii Præceptores, (te Venerande & Cl. D. D. Pappè una compello) Vestram, ut promisistis, adhibete curam. Scribe, solare, communica, labora pro me, labora, & me cultorem tuum perpetuum agnosce. Quare claudo Epistolam, & tibi cum Comico acclamo:

χάριτος δικαίως καὶ θίδος καὶ λάμψαν.
Vale vir Rev. & me amare perge. Data Marburgi, Idus Sept. ao. 1602.

Rev. V. Dign.

Obs.

Georgius Herdenius, D.

Rogo seriò, Rev. & Cl. D. D. ne de meo ad vos voto cum nostræ patriæ hominibus conferas, sunt enim rationes, quas propter ne hoc fiat, valdè petam.



XIV.

Sal. in Christo Servatore.

Brevior hac vice in scribendo futurus sum, Reverende & clarissime vir, amice & in Christo frater plurimum colende, propterea quòd haud ita pridem de statum Ecclesiastico; tum Academico, tum meo satis prolixè me scripsisse memini. Commendavi enim tum de notâ optimâ, & R. tuæ Dignitati, & Clarissimo Theologo

H h h h 3

logo